17891
Lane Medical Library

DE

FLUORE ALBO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GOATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ES CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS LEOPOLDUS OELTZE
MARCHILUS.

OPPONENTIBUS:

M. WIESENTHAL, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
F. ELLERBECK, MED. ET CHIR. DR.
J. STEFFEN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS TROWITZSCHII ET FILII.

VIRO

AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

CAROLO MARIAE TROWITZSGH

SIBI AMICISSIMO.

HAS QUALESCUNQUE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Studiorum academicorum primitias viris eruditis magnaque ingenii solertia conspicuis traditurus probe intelligo, vires meas exarando operi laude digno minime pares esse. Si qui autem sunt, qui oleum et operam me perdidisse censeant, humaniter indulgeant juveni atque meditentur velim, aliud scribendi genus esse virorum doctorum, aliud tironum. Quod ad ipsam, de qua scripturus sum, materiem attinet, ambitus ejus tam late patet, ut praecipua tantum, quae partim ex aliorum libris partim ex praeceptorum scholis hausi, apponere possim, nam si completam fluoris albi monographiam edere conarer, non specimen inaugurale, sed ampli voluminis librum con-

scriberem. Haec pauca sunt, quae praemonenda mihi videbantur; utinam Benevoli Lectores in iis acquiescant et quae in opusculo oblato laudare nequeant, tacite probent, ne juvenilis animus severiori judicio plane prosternatur.

Fluoris albi, medorrhoeae, aedaeoblennorrhoeae, medoblennorrhoeae, passim elytritidis, leucorrhoeae feminarum nomine muci ex partibus mulierum sexualibus profluvium designatur. Adnotare tamen oportet, non unamquamque adauctam tunicae partium dictarum mucosae secretionem hocce nomine esse dignam; etenim si de fluore albo agitur, statum pathologicum innuere solemus, nemo vero ignorat, uberiorem muci secretionem interdum physiologicae systematis sexualis conditioni respondere. Sub graviditatis finem, ut exemplo utar, largior illa secretio partum prope imminentem praesagit; eadem haud raro catameniorum fluxum antecedit vel subsequitur; aliis in casibus conceptioni recens ortae, semper oestro mulierum venereo superverit. Proinde, ut fluor albus seu leucorrhoea appelletur, secretionem aliquamdiu adauctam persistere, seu catarrhum tunicae partium sexualium mucosae adesse oportet, nihil enim aliud esse fluorem album, nisi catarrhum, secreti indo-

les extra dubitationem ponit. Quum vero non copia tantum secreti adaugeri, sed quoque indoles ejus magis minusve soleat mutari, variae fluoris albi species ab auctoribus constitutae sunt, quarum differentias ex parte accidentales tantum haberi oportet. Praecipuae species, quas silentio praetermittere non licet, hae fere sunt: a) fluor albus erethisticus (acutus) et atonicus (chronicus); b) serosus, mucosus, purulentus; c) contagiosus sive syphiliticus, et non contagiosus, quorum ille plerumque malignus, hic benignus appellari consuevit.

Specierum dictarum symptomatologiam deinceps nunc exsequar, ita ut momentorum diagnosticorum, quibus inprimis discrepant, simul mentionem faciam.

Fluor albus erethisticus s. acutus, elytritis sensu strictiore a nonnullis dictus, processu inflammatorio-catarrhali tunicae mucosae systematis sexualis nititur eamque ob causam inflammationis symptomata magis minusve perspicua offert. Utplurimum sensus caloris intra vaginam antecedit, quem pruritus comitatur haud ingratus, postea vero dolor distendens aut urens, aut pungens. Anterior vaginae facies cum clitoride, labiis majoribus atque nymphis tumescunt et indurescunt. Accedit molesta coeundi cupiditas, gressus dolores excitat, aegrotae adeo sedentes inimicum con-

queruntur pruritum, urinam cum difficultate quadam et ardore reddunt lotioque edito novam mingendi cupiditatem sentiunt. Hisce tendentes inguinum et lumborum dolores superveniunt, quandoque febri conjuncti, qua pulsus duri et frequentes redduntur. Accidit etiam, ut vomitus cum ventris infimi tumescentia dolorifica oriatur, nec mirum videri potest, vesicam urinariam, urethram, intestinum rectum cum toto perinaeo sub his rerum conditionibus affici glandulasque inguinales per consensum tumescere. Quae symptomata, ut in omni inflammatione, celeriter increscunt, novis perpetuo accedentibus, quanquam ad tantum gradum raro evehuntur, quantum in virorum gonorrhoea assequi solent. Imminentibus catameniis intense adaugentur, neque minus praegresso corporis perfrigerio vel aestu. — Decrescente inflammationis stadio mucus vel aquosus vel spissiusculus, interdum subcruentus, plerumque flavidus, postremo viridiusculus, odorem spargens ingratum linteaque tingens profunditur, qui initio acerrimus est, partes ambientes erodit, sub finem autem blandior fit. Accedit summa mingendi difficultas, quae ne inter fluxum quidem menstruum remittit magnasque aegrotis molestias infert. Si gravior est inflammatio et cum febri conjuncta, capitis dolores haud deficiunt, oculi fulgent, genae rubent, cutis arescit, inquies et agrypnia cum siti

adaucta oriuntur, urina rubrum ostendit colorem. Hocce stadium inflammatorium per dies 8—14 protrahitur.

Fluor albus atonicus s. chronicus vel primarius est, vel erethisticum sequitur; priori in casu menstruationem antecedere vel excipere, in altero elytritis secundaria vocari solet. Nec pruritus, nec calor auctus vaginae, neque dolores adsunt. Profluvium nunc augetur, nunc imminuitur, nunc alias subit mutationes, quas enumerare longum est. Perfrigeria, nimiae corporis contentiones, alvus obstipata, coenae largiores, spirituosorum abusus, multa alia morbum deteriorem reddunt. Matutino tempore mucus plerumque uberius effunditur, noctu parcius, vel plane retinetur. Interdum evenit, ut hicce fluor albus aliquamdiu suspendatur, deinde subito recrudescat; qui si temere supprimitur, saepe minacia oriuntur symptomata. Urina utplurimum sine difficultate redditur flocculosque vel sedimentum demittit, nam pituitam ab ambientibus partibus abluit, quae lotio intermiscetur. Color muci secreti admodum variat, modo flavus est aut vidiusculus, modo lividus, imo nigrescens, odor nunc nullus nunc gravissimus, consistentia nonnunquam puris, imo gelatinae similis. Vagina tumoris expers, portio uteri vaginalis autem tumida, mollis, laxa esse solet; os uteri externum rotundum et apertum de-

prehenditur, labiis haud reflexis. Dolores topici, ut supra jam adnotavi, deficiunt, nisi forte pudenda majori laborent incitabilitate, ita ut quaeque injuria iis illata dolorificam eorum reactionem concitet.

Altera autem parte, si morbus in longius protrahitur, serius ocius dolores lumborum, coxarum, ventriculi, membrorum, cum levi ventris tumore accedunt et postremo debilitas, malus corporis habitus, animi intemperies, digestionis turbationes, alvi anomaliae, similia exoriuntur; oculi lividis cinguntur annulis, labia pallent, ructus acidi, quandoque vomitiones, flatus crebri, imo tandem, augescente morbi gradu, febris symptomatica apparent, superficialis pudendorum inflammatio aut erosiones eorum nonnunquam mictum dolorificum, ardorem efficiunt. Catamenia fere semper turbantur, interdum plane supprimuntur, eo autem tempore, quo fluere antea solebant, muci secretio adaugetur, quo facto uterus et vagina molestis doloribus perstringi solent.

Quod ad fluoris albi divisionem in serosum, mucosum et purulentum (ichorosum) attinet, probe tenendum est, non singulares esse species, quae hocce modo se manifestent, sed a tempore et gradu affectionis topicae secreti indolem pendere. Omnes enim tunicae mucosae, sive inflammationi sive catarrho submittuntur, secretionis alienatio-

nem experiuntur; in vera inflammatione, imo in catarrhi acuti acme secretio vel supressa (unde nomen „catarrhus siccus“) vel parca est, fluidum secretum tenue, aquosum, magis minusve acre, id quod optime in illo narium catarrho, qui coryza appellatur, animadvertimus. Simulatque inflammationis aut catarrhi acuti intensitas diminuitur, tunica mucosa rslaxari, plus minus rarescere incipit, sanguinis circuitus, per vasa ejus antea retardatus, expeditior redditur, ergo secretio aliquamdiu suppressa aut restricta non solum uberior evadit, sed ipsum quoque sacretum blandius, spissius editur, ita ut huic stadio „catarrhi mucosi“ nomen a scriptoribus inditum sit. Unaquaeque affectio tunicarum mucosarum catarrhalis, sive primitus acuta sive chronica, si in longum protrahitur et resolutione haud tollitur, in suppurationem et ulcerationem abire potest, quo fit, ut secretum purulentum aut saniosum edatur. Quae processus pathologici metamorphoses quum etiam in tunica mucosa partium sexualium muliebrium inveniantur, haud difficile est intellectu, cur fluorem album serosum, mucosum, purulentum (ichorosum) medici constituerint.

Jam de fluoris albi in contagiosum seu syphiliticum et non contagiosum divisione sermonem faciam; illum vulgo malignum, hunc benignum appellari, supra adnotavi, quae autem deno-

ruinatio plane rejicienda est, non contagiosus enim plerisque in casibus multo pertinacius, quam syphiliticus, artis auxiliis resistit, cujus rei causa in momentis efficientibus, ut plurimum sublatu difficilioribus, cerni videtur.

Quum fluoris albi non syphilitici ea sint symptomata, quae supra descripsimus, nunc de syphilitico seu contagioso disseramus, qui, virorum gonorrhoeae omni ex parte similis, perinde atque haec „Urethritis syphilitica“ a multis recentiorum vocatur. Secernitur nempe mucus pallido-flavescens, aut flavido-viridiusculus, foetidus, magis minusve acer et corrosivus, cujus causa in syphilitica infectione per contagium sic dictum gonorrhoicum cernitur. Partes sexuales muliebres, si a menstruatione discesseris, variis temporibus varia profluvia exhibent. Hicce fluor albus adeo frequens syphilidis comes est, ut e centum mulieribus huic obnoxiis minimum sexaginta fluore illo aegrotent. Quemadmodum fluor albus non contagiosus, ita etiam syphiliticus in varietates nonnullas dividitur, e. gr. in simplicem et complicatum, in acutum et chronicum, quorum ille erethisticus, hic atonicus esse solet; chronica forma frequentior est quam acuta.

Quemadmodum in gonorrhoea virorum, cui fluor albus syphiliticus respondet, ita in hoc primi stadii symptomata manifestantur irritatione qua-

dam abnormi, tumescentia, pruritu vaginae et labiorum pudendi, nec non majore coitum exercendi cupiditate. Quodsi digitum in vaginam immittimus, parietes ejus debito calidiores, rarefactos, morbosa sensibilitate imbutos deprehendimus. Secretum materie albida, albuminis haud dissimili, constat. Ineunte secundo stadio, inflammatio ingravescit, partes sexuales externae plus minus dolere incipiunt et inflammatoria affectio finitimas partes adgreditur, nominatim urethram, cujus orificium dolorificum redditur. Tum labia pudendi et minora et majora tumescunt, tensionis sensatio in regionibus inguinalibus, mictus dolorificus, imo interdum ischuria, exoriuntur. Maxime vero inter omnia symptomata largior eminet secretio muci flavido-viridiusculi, qui continuo fere e vagina profluit, indolem habet acrem, omnibus genitalium externorum plicis foveisque inhaeret, labia pudendi, interdum femorum paginam internam, perinaeum et ani regionem excoriat, nisi summa adhibetur munditia, lintea aegrotarum maculis flavo-viridiusculis imbuit, quae veram morbi naturam facile dilucidant. Etsi dolores variarum regionum et excitatio universalis locum habere solent, tamen febris rarissime hanc leucorrhoeam comitatur; pulsus in genere normalis aut leviter irritatus, temperies corporis haud praeter normam adaucta invenitur. Ineunte tertio stadio, memo-

rata symptomata paulatim decrescunt, mucus secretus non modo spissior atque blandior, sed etiam parcior quam in priore stadio evadit.

Rarissime aut nunquam, ut nonnulli tradunt, hoc stadium sua sponte finitur; subsequitur potius forma chronica, cujus symptomata non indole, sed gradu tantum a prioribus differunt: mitiora scilicet minusque characteristica sunt, nisi morbi diuturnitas partium affectarum mutationes pathologicas, s. desorganisationes induxerit. Secretum saepe admodum copiosum, interdum tamen parcius, quam antea, ceterum viride aut subfuscum, aut puriforme, partium sexualium sensibilitas minor est. Diffitendum vero non est, leucorrhoeam syphiliticam saepe cum affectionibus partis vaginae penitioris, nec non portionis uteri vaginalis consociatam esse, quae diligentissima tamen exploratione, omnibus adminiculis in usum vocatis, deteguntur. Haud raro enim cum hac leucorrhoea aliae aegrotationes syphiliticae, ut condylomata vel ulcera, supremam vaginae partem vel portionem uteri vaginalem tenentia, exstant. Facile est intellectu, tales affectiones, si haud cognoscantur, non modo fluorem album sustentare, sed etiam miras partium sexualium destructiones inducere.

Tunicam mucosam vaginae et urethrae principem hujus morbi sedem exhibere, nihil dubita-

tionis recipit, e quibus patet, apud mulieres etiam urethritidem syphiliticam, tum primariam tum secundariam, occurrere posse, id quod Schwediaur aliique diffitebantur. Uteri ipsius mucosam nonnullis in casibus affici, experientia et sectiones confirmare videntur.

Quod ad fluoris albi syphilitici decursum attinet, fere eadem adnotanda sunt, quae de simplici, i. e. non contagioso retulimus: forma acuta s. erethistica intra 14—21 dies saepe decursum suum absolvit, chronica autem, s. atonica per tempus infinitum protrahi potest.

De fluoris albi exitu haec fere adnotanda sunt: Quum corporis humores ad irritamenta vitae necessaria pertineant, jacturam eorum corpus debilitare tandemque oeconomiam animalem subvertere, facili negotio intelligimus. Proxime quidem parti aegrotanti ipsi, nec non finitimis detrimenta inferuntur, quibus fit, ut reliquarum corporis partium vegetatio ac nutritio totaque vita mutetur atque infringatur. Pro morbi autem genere, indole, gradu atque decursu, nec non pro organismi constitutione ac temperie fluoris albi exitus variant. Fluor albus, qui solam vaginam partesque proxime ambientes tenet, dummodo naturae vires sufficiant, aut sua sponte cedit, aut artis auxiliis sine majore difficultate tollitur. Sin initio negligitur ideoque inveterascit, vel si ars

parum valet, omnia symptomata magis magisque increscunt et nonnunquam ad summum atrocitatis gradum evehuntur. Quibus in casibus oriri possunt: extrema partis aegrotantis debilitas et atonia, regionis lumbaris dolores continui, agrypnia, morositas atque tristitia, faciei et labiorum pallor aut color luridus, oculorum languor, muci et lacrymarum ex iis profluvium, anuli circa palpebras inferiores coerulei aut lividi: Quantopere universi organismi oeconomia offendi possit, ex supra dictis colligere licet, etenim si fluor albus omnibus artis conaminibus resistit, si profusa secretio non modo persistit, sed augetur et mutatur, e. gr. purulenta aut ichorosa evadit, totum corpus macrescit, musculi languescunt, relaxantur, tabescunt, cutis pallida, pastosa fit, pulsus parvus atque debilis, imo exilis; accedunt nervosa symptomata, ut asthma, cordis palpitationes, anxietas, ructus, vomitiones, cardialgiae et colicae, praeterea alvi obstipatio aut diarrhoeae, chlorosis, hydropsiae, quibus aegrotantes succumbunt. Non semper, si sanatus videtur fluor albus, valetudo omni ex parte integra revertitur, singularis enim animi intemperies, hysteria, imo melancholia, remanere aut subsequi possunt, quarum causa, si leucorrhoeam syphiliticam fuisse mulieres sciunt, nonnunquam in eo ponenda est, quod contagii syphilitici residua in corpore mansisse opinantur.

Jam eo rem deduximus, ut de aetiologia sermonem facere nos oporteat. Proximam morbi causam in partium sexualium muliebrium tunica mucosa cerni ejusque affectioni catarrhali aut acutae aut chronicae inniti, quae tamen postea in degenerationem, ut suppurationem et ulcerationem, abire possit, non est quod fusius exponamus. Quemadmodum aliorum organorum, e. gr. pulmonum, intestinorum, vesicae urinariae, ita etiam partium sexualium tunica mucosa vel per naturam vel per accidentalia momenta ad catarrhalem affectionem magis minusve opportuna reddi potest, qua dispositione oblata praecipue leucorrhoea chronica existit. Quod ad aetatem, feminae inter vitae annum vicesimum sextum et quadragesimum reliquis frequentius tentari dicuntur, quanquam sexagenarias et septuagenarias, altera autem parte infantes juvenesque puellas, inprimis chloroticas, haud adeo raro affici constat. Viro nuptae in universum rarius corripiuntur, quam caelibes; vetulis virginibus fluorem album admodum esse communem, probe scimus. Constitutio corporis torpida, diathesis scrophulosa, plethora abdominalis morbo favent; nonnulli hereditate aut nutricum lacte eum propagari (i. e. dispositionem effici) tradunt. Clima, terrae regiones, vitae ratio ad excitandam leucorrhoeam multum conferunt; in urbibus crebrius occurrit

quam in agro, cujus rei causam magna ex parte educatio effeminans sistit. Quodsi meditamur, fluorem album nonnullis in regionibus endemicum observari, e. gr. in Hollandia, in Brasilia, coeli naturam accusandam esse, haud dubitabimus. Qui phthisicam corporis constitutionem inter causas praedisponentes leucorrhoeae referunt, haud dubie cum scrophulosa diathesi illam confundunt.

Inter causas leucorrhoeae occasionales primum topica partium sexualium irritamenta referenda sunt, ut minimus coitus, praecipue si foecundatio non subsequitur, onania, pessaria in vaginam immissa, entozoa, inprimis ascarides vermiculares, qui ex intestimo recto in vaginam virepunt, id quod puellulis saepe accidit, calculi vesicales. Magni praeterea momenti libidinis exaltatio est, qua fit, ut sanguinis congestiones ad genitalia efficiuntur, imo muci profusiones excitentur. Haud raro puellae, saltando aestuantes, perfrigeriis corpus submittunt eaque de causa fluore albo corripiuntur, eo magis si levi tantum vestitu partes sexuales munitae sunt. At contraria quoque ratio hunc profert morbum, minirum calor nimius genitalium, adhibitis vel crebris insessibus, vel clysmatibus, pediluviis et semiluviis, vel ollis carbonariis, quibus praecipue mulieres vetulae utuntur, nam his etiam causis sanguinis affluxus ad partes sexuales allicitur. Silentio prae-

termittenda non sunt topica vitia, ut uteri polypi aut alii tumores et portionis vaginalis degenerationes, quibus leucorrhoea symptomatica supervenit. Digestionis alienationem diutius protractam, turbatam bilis secretionem, cruditates atque vermes intestinales, maxime autem haemorrhoides fluoris albi causas exhibere posse, vix dubitandum est. Vigente enim diathesi haemorrhoidali, constitutio locum habet venosa, atrabilaris, carbogenii abundantia oritur in sanguine, excretiones materiarum consumtarum, ergo organismo alienarum, inhibetur, quo fit, ut et tunicae mucosae generatim, et partium sexualium mucosae speciatim aegrotent. Leucorrhoea igitur, quae haemorrhoidalis appellatur, cum manifestis circulationis sanguinis anomaliis in ventris visceribus consociate apparet, aut secundariis saltem symptomatibus stipatur, quae latentibus haemorrhoidibus propria esse solent, ut gastralgiis, colicis doloribus, alvi obstipatione habituali, primarum viarum ascescentia et flatulentia. Metastases rheumaticae, arthiticae, exanthematicae, nec non secretionum habitualium, ut sudis pedum, supperissiones haud raro in tunicam mucosam partium sexualium incumbunt et fluorem album inducunt, qui his in casibus vicariam actionem praestat. Notentur denique oportet partus crebi atque difficiles, metrorrhagiae, catameniorum anomaliae cujusvis

generis, partium sexualium immundities. Fluor albus venereus, ut supra diximus, syphiliticae infectioni originem debet; non solum autem coitu cum viris urethritide syphilitica laborantibus, verum etiam, ulceribus syphiliticis, condylomatibus genetalia obsidentibus, imo bubonibus labiorum majorum venereis effici potest.

His expositis restat, ut de curando fluore albo nonnulla in medium proferamus, atque illud potissimum est respiciendum, leucorrhoeam pro vi sua atque natura esse curandam; alia enim instituenda est curatio leucorrhoeae erethisticae s. acutae, alia chronicae, alia praeterea syphiliticae. In curanda autem leucorrhoea, quam nominamus acutam, easdem medendi rationes sequi debemus, quibus in curandis catarrhis aliis acutis ducimur. Interdum morbi indole et natura sanguinis detractiones indicantur cum topicae tum universales, atque illud quidem semper est respiciendum, venaesectiones quoad instituendae sunt, sanguinis detractionibus topicis valde praeferendas esse, tum quia erethismum omnino facilius tollunt, tum quia sanguinis detractiones topicae sanguinis ad genitalia congestionem Lisfranc autore augent. Plerumque autem methodus sufficit emolliens „modice antiphlogistica, eademque erethismum diminuens; Fomentationes licet applicare ex herbis emollientibus paratas, e. g. decocta Cicutae, capi-

tum papaveris, neque minus injectiones tapidas ejusdem generis. Morbus, ubi e perfrigerio quodam exortus est, tunc, ut indicationi causali satisfiat, dentur remedia diaphoretica, pulvis Doweri, liquor ammonii acet: Colchicum; atque imprimis cura est habenda, ut alvus solvatur. Si leucorrhoea acuta in chronicam abiit, tunc demum lotiones atque injectiones aquae saturniae, aluminis soluti aut zinci sulfurici praescribere licet; aegrota praeterea in stragulis tomento refertis recumbat necesse est, corporis animique motiones quantum fieri potest, vitet; et diaeta fruatur quam maxime antiphlogistica.

Summo affectionis catarrhalis gradu sublato, Ricord vaginae speculum adhiberi jubet, ut, num singulari fortasse curatione opus sit, examinetur. Speculo utendum est perfracto, non clauso, ut posterior etiam vaginae paries adspici queat. Inter externa remedia Ricord principem locum plumbo acetico et argento nitrico assignat, quorem solutiones satis concentratae longius per tempus ad aegrotantia colli uteri loca applicantur, sive erosiones aut excoriationes, sive ulcera inveniantur; levioribus in casibus nonnunquam ad cicatrisationem sufficit, ut loca illa aqua tepida abluantur. Ulcera pronimentia si adsint, idem auctor, liquore Bellostii illiniri, deinde penicillum aqua saturnina imbutum iis superimponi jubet,

quae canterisatio senis vel octonis diebus repeti potest. Sanescentibus colli uteri ulceribus, plerumque profluvium ex matricis cavitate desinit; quod si non fit, Ricord liquorem Belostii duodecim aquae partibus dilutum, per catheterem flexibilem in uteri cavum injici, eoque per minutam retento, aquam infundi suadet, quae agendi methodus dolores acerbos, sed bis vel ter repitita sanationem (ut dicitur) inferre solet.

Fluor albus chronicus interdum mulieribus validis superverit, quae vitam sedentariam aut otiosam agentes Veneri aut nimium indulgent aut ab ea prohibentur; utroque in casu largi sanguinis impetus ad partes sexuales fertur, id quod etiam sanguinis stasibus in venis abdominalibus effici potest. His in casibus initio methodus leviter antiphlogistica, aut derivatoria, aut resolvens, prout res expostulat, in usum vocetur oportet. In universum tamen propter membranae mucosae atoniam atque torporem irritantibus atque roborantibus remediis opus est, ita quidem, ut causae disponentes et occasionales nondum sublatae medicamentis consentaneis tam pharmaceuticis quam diaeteticis impugnentur. Omissis interinis tonicis et roborantibus, quibus universae corporis constitutioni quandoque succurrere debemus, praecipue topicae seu externae curationis mentionem faciam. Quodsi vaginae evolutio satis

processit (ergo apud mulieres et puellas adultiores) remediorum tonicorum aut adstringentium injectiones praecipue commendantur. Hac autem in re providentia aliqua opus est; quodsi enim fluor albus morbum constitutionalem sistit, aut alius functionis, quae suppressa est, vices agit, injectiones adstringentes et exiccantes, quae praemature habitualem secretionem coercent, non sine periculo adhibentur. Quibus in exemplis aut corporis constitutionem antea corrigi, aut suppressam secretionem instaurari necesse est. Kopp decoctum radicis ratanhiae, cui ejusdem radicis extractum addit, injici jubet; idem decocta aliorum tannicorum, ut corticis chinae, quercus etc. efficiunt, eo magis, si alumen aut plumbum iis adjiciuntur. Plus efficacitatis zinci, cupri et ferri sulphurici solutiones praestant. Si materia purulenta, saniosa, foetida editur, aqua calcariae, hydrargyri bichlorati corrosivi, calcariae hypochlorosae solutiones interdum cum fructu injiciuntur, ita vero, ut simul conditionis universae ratio habeatur. Non raro aquae minerales martiatae, ut Pyrmontana, Spadana, Driburgensis, nec non balnea marina, fluori albo atonico egregie mederi, vel, eo jam sublato, valetudinem confirmare dicuntur.

Sub finem de leucorrhoeae syphiliticae curatione nonnulla adjiciam. Quae forma quum ple-

rumque acuta sit, initio pariter ac in simplici fluore albo erethistico antiphlogistica mitiora, salia nimirum refrigerantia, cum emulsionibus aut decoctis mucilaginosis adhibenda sunt. Majore erethismi gradu, dictis medicamentis extractum hyoscyami aut praeparata hydrocyanica cum kali nitrici solutione conjungere licet. Quae de incommodis medelae antiphlogisticae dintius continuatae supra diximus, huc etiam pertinent. Exstincta indole inflammatoria, interne plerumque balsamica, externe adstringentia commendantur eorumque usus continuatur, donec dolores partium sexualium topici, ardor urinae et similia cesserint, quo facto ad efficaciora progrediendum est. Tametsi plura medicamina, intus praebenda, a nonnullis immpense laudantur et quandoque effectum salutarem praestiterunt, ut balsamum copaivae, gummi ammoniacum, myrrha, ferri praeparata, tamen externa multo certius atque promtius agunt, inter quae plumbi et hydrargyri praeparata principem locum tenent, ita ut a blandioribus ad fortiora procedatur. Haecce remedia vel soluta injiciuntur, vel lotionibus adaptantur, vel denique lintei concerpti aut spongiae marinae ope in vaginam immittuntur. Ulcera, si adstringentibus et alterantibus remediis non cedunt, caustica, ut liquorem Bellostii, argentum nitricum,

similia expostulant. Quae vero si his etiam resistunt, imo amplificantur et in telam mucosam altius descendunt, genuinae syphilidis suspicionem movent atque talem medendi rationem adhiberi jubent, quae syphilidi respondeat.

VITA.

Arminius Lepoldus Oeltze, fidei addictus evangelicae, natus sum Burgi, Marchiae oppido, die V. mens. Julii A. hujus saeculi XXI., patre Friderico Guilelmo, matre Estella e gente de Belleville, quorum alterum morte mihi jam puero ablatum doleo, hanc adhuc superstitem pio gratoque animo veneror. Primis literarum elementis imbutus scholam latinam orphanotrophei Halensis adii atque ibi tempore paschali a. h. s. XLII. testimonium maturitatis nactus sum.

Universitates literarias Halensem, Gryphiswaldensem, Berolinensem medicinae studiosus per quinquennium frequentavi atque disserentes audivi: beat. Friedländer de historia medicinae et de Encyclopaedia et methodogia medicinae, Ill. a Schlechtendal de botanice, ill. Burmeister de Zoologia, ill. Erdmann de psychologia, ill. Gerlach de logice, ill. Hüne-

feld de mineralogia et chemia, ill. Tillberg de physice, ill. d'Alton de anatomia, nec non de arte cadavera rite secandi, ill. Litzmann de physiologia, beat. Seiffert de materia medica et de arte formulas medicas rite concinnandi, beat. Berndt de pathologia generali, semiotice et morbis pectoris, ill. Berndt de pathologia et therapia speciali, de therapia generali et de morbis animi, ill. Schulz de physiologia et anatomia pathologica, ill. Baum de chirurgia, de fracturis et luxationibus, de operationibus in cadaveribus instituendis chirurgicis, ill. Laurer de arte fascias rite alligandi, beat. Seiffert de medicina forensi, beat. Wagner de politia medica, ill. Volkmann de anatomia comparata, ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali, ill. Hohl de arte obstetricia; idem dux mihi erat in clinico obstetricio; praeterea in clinico cum medico tum chirurgico et ophthalmiatrico duces mihi fuere ill. Trüstedt, ill. Berndt, ill. Baum, ill. Blasius, ill. Krukenberg, ill. Wolff, ill. Jüngken, ill. Langenbeck. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo. Tentamen philosophicum tempore autumnali a XLIV. Gryphiae superavi; studiis peractis quum pecuniae ad examina necessariae mihi deessent, medicus auxiliaris per sex annos in exercitu regio borussico stipendia feci et nunc in numerum Mu-

sis addictorum Academiae regiae medico-chirurgicae militaris adscriptus, tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso absolutis spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES.

I. Torsio vasorum minus valet, quam ligatura.
II. Dolor morbi signum certissimum.
III. Albuminuria non est signum pathognomonicum morbi Brightii.
IV. Exstirpatione scirrhus non sanatur.